

**BREVE EPITHOMA RERUM APUD MALACAM GESTARUM ANNO
MCCCCLXXXVII EDITUM PER D. MURUM REVERENDISSIMI D. CARDINALIS
HISPANIAE SECRETARIUM AD REVERENDISSIMUM PRINCIPEM ET
AMPLISSIMUM D. D. IO. EPISCOPUM ALBANESEM CARDINALEM
ANDEGAVENSEM EX CASTRIS MISSUM**

Sperans quotide ditionem civitatis Malace, reverendissime pater et amplissime domine, distuli scribere que in expeditione huius estatis contra Granatenses, et precipue in hac Malacensi obsidione (que maxima dificillima fuit) a nostris gesta fuerint. Nunc autem, postquam nostri voti compotes effecti sumus, quam brevissime potero, satisfaciam.

Serenissimus dominus noster rex, ingenti equitum peditemque comparato exercitu, circiter nonas aprilis, multis proceribus comitatus, e Corduba copias movens Bellez-Malacam, duodeviginti milibus passum a Malaca distantem, continuis itineribus pervenit, pulchram quidem urbem et natura munitam, quam et obsidione cinxit et vi et armis oppugnavit, regemque Granate, cum infinita maurorum multitudine oppidanis subsidium ferentem, fudit fugavitque. Mox urbem ipsam in ditionem accepit, pulsisque hostibus, valido presidio firmavit.

Inde cum victore exercitu in Malacam contendit, urbem maritimam et omnium Hispaniarum civitatum pulcherrimam munitissimamque et, quamquam in litore maris et in plano sita, obsideri tamem difficillima tum quod multis convallibus ab orientali plaga circumdata, ob idque non nisi magnis copiis obsideri potest, tum quod aquis fontanis et fluvialibus caret, quod, nisi multe in agris cisterne, exercitibus, equis, iumentis aquam prestantes, invente fuerint, obsidionem solvi necesse fuisset: quo cum pervenit, non longe a menibus urbis castramentatus est.

Oppidani, suum excidium cernentes, ex urbe irrumpunt nostrosque, dum castra locantur, validissime invadunt, a quibus adeo strenue excipiuntur ut, magno accepto incommodo, intra menia se recipere coacti sint. Deinde, firmatis castris locisque omnibus que hostibus accessum prebere a mari ad mare vallo et fossa munitis, civitas undique oppugnari cepta est; et in primis suburbia, instar civitatis turrita multisque propugnaculis munita, ab armigeris reverendissimi domini mei cardinalis Hispanie, qui sub domno Hurtato Mendoza, eius fratre, in ea urbis parte pugnabant, vi et armis expugnata sunt, multis tamen nostrorum in ea expugnatione desideratis.

Dum hec agerentur, serenissimus rex, ratus hostem brevi deditioem facturarum (uti qui aggeribus, arietibus, cuniculis, balistis eneis ferreisque, tormentis et machinis bellicis terra marique quotidie oppugnabant) serenissimam dominam nostram reginam, voluptatis gratia, accersiri iussit — Cordube enim erat pecunias, commeatum, suplementum et reliqua bello necessaria imperans ac viro mittens —, cuius maiestas, regi optemperans, una cum memorato reverendissimo cardinali aliisque prelatis et proceribus, paucis diebus in castra pervenit. Opereprecium fuit intueri regia castra diversarum regionum exercitibus communita conmeantibusque omnis generis adeo abundantia ut Rome in Campoflore, non in castris, versari existimares. Classis preterea multis triremibus et rostratis navibus aliisque inmodicis naviis egregie instructa, loca maritima tutans, pulchrum spectaculum fuit.

Verum longe secus quam putaveramus evenit. Oppidani autem preter omnium opinione (quamquam permultis undique malis conflictati, quippe ingenium sepe mala movent), non contenti intra menia se continere urbemque defendere, vinci quam non tentare victoriam malebant. Italum subsistit. Interrogatus unde aut quis esset, lingua eius pre nimia perpetrandi sceleris turbatione adeo arida facta est ut, balbuenti similis, ne verbum quidem respondere quiverit. Marchionissa, illum sitire existimans, aquam afferri iussit. Sanctus tamen, non ultra cunctandum ratus, districto mucrone, ictum in ipsam totis viribus contorsit, a quo, deo custodiente, illesa evasit. Inde, dicto citius, memoratum Alvarum gravi ac prope letali vulnere in capite affecit.

Attoniti accurunt circunstantes et plura conantem comprehendunt armaque auferunt, cumque secreto pugione eos percutere contenderet, vulneribus confossus est, eiusque cadaver quadripartitum per machinas in civitatem a pueris cum hac verborum exprobatione imprudenter missum: Sanctus hic vester est, per terram nuper incedens, nunc per aera volans. Quod oppidani ita indigne tulerunt ut iunctis membris et in sepulchro pretiosissimis aromatibus de more conditis, statim de vindicta cogitarent. Itaque haud multo post, par pari referentes, captivum christianum, variis cruciatibus necatum necatum membratimque laceratum, asello imponunt et in castra mittunt. Cuius certe christianissimi reges adeo miserti sunt barbarorumque immanitatem detestati ut in ditione urbis egre descenderint ad ignoscendum occisoribus; osa preterea defuncti honorifice sepeliri, parentes et consanguineos undique conquisitos muneribus honestari ac in pretio deinceps haberi imperarunt.

Dicerem aliquid hoc loco, nec ab re, de laudibus tantorum regum, veritus tamen, ne si eorum prestantes in omni genere virtutis animos verbis consequi vellim, prius me

dies quam materia deficeret, simul quod tanta est eorum prudentia, iustitia, integritas, pietas et religio ut eos facilius admirari quam laudari liceat. Hec in aliud tempus omittam; igitur unde digressi sumus redeamus.

Oppidani interea saepius moniti ut deditonem facerent, non exspectarent ubi venie locus non esset, fore ut saniori usi consilio, per colloquia sibi, uxoribus, caris liberis fortunisque suis consulerent, non modo regia mandata contempsere, sed quemdam ex suis bene monentem, civesque suos ad sanitatem redigere studentem, amputata manu, paulo post ex vulnere moritum, aufugere coegerint. Ceterum fuit in urbe Sanctus quidam, priori nequaquam dissimilis, cuius opera et superstitione Zagri dux, homo versutus et quibuslibet subitis paratus, ad animos civium falsa religione imbuendos et, quo maxime vellet. Itaque, Zagri eorum duce adhortante, viro acris ingenii et rei militaris perito, irruptiones ex urbe facere, in certamen prodire, prelia committere, castra et munitiones imperterriti oppugnare, nostros quotidie lacessere, nihilque pretermittere quod ad fortis et strenuos viros pertineret. Nostri, quamquam hostem desperatione rerum omnia conantem luce clarius cernebant, nequaquam tamen sibi deerant aut certamen detractabant, sed eorum impetum ita acriter reprimebant ut barbaros audacie plerumque pigeret. Undique cedes, strages maxima et dira belli facies. Multa et litteris et memoratu digna, reverendissime domine, in hac obsidione accidere, que ideo pretermitto quod singula persequi arduum esset.

Barbarum tamen stratagema, facinus audax pre ceteris memorabile, posteritati commendandum fuit. Quidam maurorum audacissimus, quem eorum secte cultores sanctum appellant, auditio Malacensium discrimine, se auxilio illis futurum obsidionemque soluturum publice pollicitus est. Itaque iactabundus permultos adhortans, ad tercentos temeritatis sue comites habuit quorum centum et triginta velut circiter ducem secuti, diversis tramitibus noctu in castra regia pervenerunt, presidioque stationum per fraudem decepto, partim ad suos penetrarunt, partim a nostris insequentibus capti, partim trucidati fuerunt. Tamen, dedita opera, a suis paulo divertit rem divinam se facturum simulans, a nostris (id ipsum machinans) capitur et ad marchionem Gadicensem (cuius auspiciis qui eum ceperant militabant) perducitur militibusque custodiendus traditur. Is postridie se in somniis vidisse fingit Malacam intra septem, ignorans dies, menses vel septimanas, capiendam, fore alia secretiora soli regi expositurus.

Marchio, iocandi gratia potius quam barbare superstitioni fidem habens, illum (cum armis et vestibus quibus captus fuerat) ad regem mittit. Forte rex tunc quiescebat. Christianissima regina, seu incredibili prudentia (qua maxime prestat) ducta seu divino

numine afflata (quod magis affirmare ausim, attenta eius singulari religione et probate vite momorumque sanctitate), vetuit ne, antequam rex a quiete surgeret, introduceretur. Tunc milites ad tentorium marchionisse de Moya, quod prope regium erat, illum perduxere. Sanctus intromissus, egregiam mulierem cemens aureis vestibus omatam, forma eximiam et cultu notabilem, ac iuxta eam Alvarum Brigantium, Lusitanum, iuvenem quidem splendidum et modestia et gravitate peditum, ratus regem et reginam fore, colore mutato, paulo pellendos utebatur. Is furiis agitatus mentitur se nocturna colloquia cum Mahumeto habere, unde suos non modo non desperare sed bono animo esse iussit, brevi futurum predicans nostros ingenti clade superandos, et in fugam vertendos, obsesosque et spoliis et commeatibus obsidentium potituros.

Semel itaque, sancto precedente et reliquos se sequi adhortante, paulo ante solis ortum, per portam maritimam que vergit ad occidentem egressi, in castra irrumpunt stationemque Antistitis militie Alcantare, a custodibus et vigilibus paulo ante desertam, invadunt demoliunturque, eoque impetu usque ad tentorium ipsius Antistitis, omnia vastantes obvios quoisque trucidantes, accedunt. Quodsi (ut viros fortes decuit) ultra contendissent, ea certe die de magna nostrorum parte actum esset, aut saltem ingenti clade nos affecissent. Antistes tamen, licet adolescens, non sibi defuit sed cum paucis ordinis religiosis, agarenis obviam factus, eorum impetum primo retardavit et paulo post, regis armigeris subsidium ferentibus fretus, hostes invadit ac in civitatem pellit. Itaque male accepti, permultis eorum occisis, pluribus vulneratis, in urbem se recipiunt. Hec ultima eorum irruptio fuit.

Dicere non pretermittam hoc loco moderationem fortis Zenetii, Gomerorum ducis (sic enim Gomera insula oriundos qui inter eos fortiores habentur, appellant), qua in quosdam pueros christianos usus est. Virtus enim et benefacta etiam in hoste laudanda sunt. Is, cum omnes preisset puerosque inermes in statione dormientes offendisset, non modo non occidit, cum impune posset, sed et a somno excitavit et ut mauros venientes fugerent manu ac voce iuvit tutosque abire permissit. Pueri igitur, barbari beneficio vita donati, ad nostros incolumes evasere.

Inter haec obsidio ad quadrimestre vel circiter protracta est, qua tandem invictissimus rex constantissime absolvit; nam cum obsessos oppugnare adhortus iamque ad rem peragendam machinas et tormenta bellice permulta (diversi generis) parari iusserat, Galleci provincie Compostellane, qui in ea obsidione pre ceteris insignes habitu sunt, dispossitis insidiis, duos Malacenses capiunt, ex quibus et paulo post ex transfugis nuntiatum est oppidanos famem laborare, quod ubi in castra percrebuit, clementissimus

rex, pro explorato habens non minus esse imperatoris consilio vincere quam armis, imitatus Scipionis exemplum dicentis malle se unum civem servare quam mille hostes occidere, oppugnationi aliquot dies supersedendum censuit. Interea obsessi eo necessitatis et inopiae devenere ut iam nonnulli, quibus res familiaris domi angustior erat, ante limina potentiorum procumbentes, in ipsis precibus expirarent, alii terram morientes mordebat, plures hominem exuentes funestas epulas et nepharios cibos inveniebant, inter alios de his rebus a quibus natura abhorret rixa erat, quippe quibus, nisi semetipsos comedenter, nihil quo viverent reliquum erat. Iamque liberorum servorumque cura relicta, sibi quisque consulebat. Cerneret post captam urbem exesa corpora, ossa nudata, conditos oculos, lividas carnes et expressum dentibus tabum, tota denique civitas unius defientis speciem habebat.

Captivorum praeterea christianorum triste spectaculum fuit, pallidi enim et exangues erant et, citra spem convalescendi afflicti, infernis imaginibus similes. Tantis igitur malis circumventi, oppidani eo recurrunt et cupidissime petunt quod paulo ante contempserant. Igitur colloquium ultro ferunt et legatos qui de pace tractarent, in castra mittunt. Fuere qui pacis conditiones a legatis oblatas non improbarent, quia dicerent non ulterius cunctandum esse sed hostes quavis ratione urbe pellendos. Quam sententiam plerique proceres, quibus mens erectior erat, vehementer impugnarunt disuaseruntque oppidanorum ditionem, nisi libere se et sua regie maiestati permitterent, nequaquam admittandam. In eo autem quod obiiciebant nihil periculi esse quin his omnibus et aliis qui evenire possent incomparabilem regiam prudentiam et diligentiam longe antea prospexit, quo factum est ut rex oratoribus respondere iusserit victis accipiendas non ferendas pacis conditiones. Mesti igitur legati in urbem re infecta reversi sunt, preter unum Gomerorum prefectum, paulo post sua sponte Christi charactere insignitum.

Civitas ergo, solutis induciis, denuo tormentis oppugnari, et acriter defendi coepit. Verum urgente in dies acrius fame ipsique membra ulterius sustinere non valentes, per litteras impetrare conantur quod per legatos non poterant. Urbem igitur ipsam, dulcem patriam, et bona denique omnia, per litteras patro eorum sermone conscriptas, regie maiestati offerunt, servitutem mortemque tantummodo deprecantes, nec tunc quoque exauditi sunt. Adeo enim in nostros servierant (sic) ut nullum sibi venie locum reliquerint. Tandem Victoria facilis ex difficillimis rebus secuta est, nam cum divina et humana ope destituti, nullam spem subsidii haberent ac ferro, fame, peste, ad nihil fere redacti essent, ditionem libere fecere, servitutis, opum fortunarumque suarum regie maiestati prestante permissa, vita solummodo exorata, satius enim humaniusque iudicarunt qui ex

tanta clade superfuerant opibus rebusque suis privari et victos victoribus servire quam ad internitionem usque deleri ac fame penitus perire.

Sabato itaque XV kals. septembbris, anno salutis septimo et octuagessimo supra quadringentessimum et millessimum, nostri in arcem (quam Alcazabam vocant) introducti sunt, in qua exterminato fugatoque ex diutina Malace possesione mahumetico nomine eiusque spurcissima secta, crux Christi primo, deinde gloriosissimi apostoli Iacobi vexillum et tertio loco regia insignia in conspectu totius exercitus, cum maxima omnium gratulatione et acclamatione, elevata et ostensa sunt. Sequenti die arx Gibralfarum et mox alie arces, que multe in civitate existunt, et tota denique urbs parí letitia recepte sunt. Eamdem calamitatem sensere duo munitissima oppida in proximo sita. Miias et Ossuna, a quibus nostri et in hac obsidione et antea maximis incommodis affecti sunt, captivi christiani numero quingenti vel circiter pristine libertati restituti. Nonnulli preterea heretici Mosayce perfidie iam pridem in hac urbe se receperant, de quibus, simul et de perfugis, sumnum suplicium sumptum. Capta sunt in ea urbe multa milia sarracenorum ingensque preda adeo ut inter tot opes et captivorum et aliarum rerum civitas ipsa minimum videatur. Captivi partim proceribus militibusque dono dati, partim publice venundati ac pretio redempti, reliqua preda pari modo distributa.

Sic victi hostes et sevitiae et pertinacie poenas dedere, et quos nulla arma, nulla mali vis superare potuit, durissima necessitatum fames consumpsit. Demum regie maiestates, tanta Victoria potite, inmortali Deo, cui omnia tribuunt, perpetuas gratias agentes, magna omnium gratulatione, in modum triumphi in urbem admissae, nunc maxime intente sunt constructioni templorum in hac urbe dedicandorum ut pacem, laudem et gloriam tum fortitudinis tum religionis assequantur Deo gratias.